Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

bebant. Gentes igitur iste dominum quidem metuunt, sed nichilominus ydolis serviunt, cum professores christiane fidei dominum quidem recognoscunt, sed vicia et peccata non deserunt. Nam filii et nepotes eorum sic fecerunt parentes sui, ita faciunt. Parentes sunt peccati suggestiones, filii sunt peccati delectationes de suggestione procedentes, nepotes sunt peccati consummationes. Filii et nepotes ita faciunt sicut parentes fecerunt, quia delectatio et consensus suggestionem peccati perficiunt. Usque in presentem diem, usque in mortis et iudicii recordationem, cum illa cepit homo semper habere presentem. SEQUITUR.

Anno tercio Osee filii Hela regis Israel regnavit Ezechias filius Achab regis Iuda. Viginti quinque annorum erat cum regnare cepisset, et XXVIIII annis regnavit in Ierusalem. Nomen matris eius Abia filia Zacharie. Fecitque quod bonum erat coram domino, iuxta omnia que fecerat David pater suus. Ipse dissipavit excelsa et contrivit statuas et succidit lucos, confregitque serpentem eneum quem fecerat Moyses. Siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant incensum ei. Vocavitque eum Naastan. In domino deo Israel speravit. Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt. Et adhesit domino et non recessit a vestigiis eius, fecitque mandata eius que preceperat dominus Moysi. Unde et erat dominus cum eo, et in cunctis ad que procedebat sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum et non serviebat ei. Ipse percussit Philisteos usque Gazam et omnes terminos eorum, a turre custodum usque ad civitatem munitam.

Quia in superioribus Osee typum redemptoris habere diximus, tercius Osee annus designat tercium revelate gratie tempus. Ezechias filius Achab regis Iuda regnat, cum fidelis quisque in vera dei dilectione ad regnum vite festinat. Ezechias enim apprehendens dominum vel fortitudo domini dicitur, quia quisquis fidem, spem et dilectionem apprehendere nititur, ad vere salutis fortitudinem pergere dicitur. Viginti quinque annorum est Ezechias cum regnare incipit, cum fidelis quisque vel in duorum testamentorum scientia vel in dilectione gemina vel in activa et contemplativa vita per conservationem quinque sensuum quasi per expensionem quinque talentorum proficit. Viginti novem annis in Ierusalem regnat, cum fidelis quisque imperfectionem huius vite patienter tolerat. Nunc inquit apostolus cognosco ex parte, cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Nomen matris eius Abia filia Zacharie. Abia pater dominus vel pater fuit dicitur, quo nomine timor exprimitur, qui initium sapientie describitur. Abia filia Zacharie scribitur, qui memor domini dicitur, quia de memoria dei timor ipsi generatur. Ezechias quod bonum est coram domino facit, quia qui timet dominum nichil negligit. Iuxta omnia que DAVID pater eius fecerat, sic ipse Christus homo factus creatorem timeri et amari docebat. Ipse excelsa dissipat, dum per humilitatis spiritum superbiam conculcat; statuas conterit, dum insensibilitatem sui cordis per veram sapientiam comminuit. Lucos succidit, dum voluptates carnis in se occidit. Serpentem eneum confringit, dum incitamentum diabolice suggestionis a corde respuit, quem Moyses fecerat, quando per legem peccatum ostendebat. Siquidem filii Israel incensum adolent ei, dum spiritum, animam et corporis fetorem viciorum in corde exhibent illi. Usque ad illud tempus quo viciis virtutum prevalet exercitus. Naastan eum vocat, quod es eorum sonat, quia diabolus in futuro eorum erit retributor, quorum in presenti fuit seductor. Ezechias in domino deo Israel sperat, quia perfecte fidelis omnem sollicitudinem suam in dominum iactat. Ezechias neque in posterioribus neque in anterioribus similem habere dicitur, quia de numero prevaricatorum nullus ei comparatur, qui die noctuque legem dei meditatur. Anteriores enim sunt prelati negligentes, posteriores sunt subditi male

Cap. XVIII